

Q. D. B. U.
THESES JURIDICAS
DE
ALIENATIONE
RERUM MINOREN-
NIUM

Adspirante Divino Nutu

P R Æ S I D E

*VIRO Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo,
atque Excellentissimo,*

DN. JOHANNES HENRICO
FELTZIO,

J. U. D. Pandect. & Jur. Can. Prof.
Publ. Ord. Celeberrimo

SOLENNI Eruditorum Censuræ
submitte

Ad Diem 27. Mens. Januar. ANNO M. DCC XVII.

JOANNES LAQUIANTE,
Metensis.

ARGENTORATI

Literis JOHANNIS WELPERI.

Diss. jur. civ.

347,16

1.

DEO
PATRIÆ
PARENTIBUS
TE
AMICIS.



De
*Alienatione rerum Mino-
rennium.*

Thef. I.

Regula est, quemlibet
Dominum posse rem suam
alienare.

Thef. II.

Verum variæ sunt circumstantiæ, quæ
huic Regulæ Exceptiones subjungunt.

Thef. III.

Inter quas est illa, quæ de pupillo &
de minore agit. Pupilli enim & mino-
res non alienant, nisi observatis legibus,
hoc nomine speciatim latis.

A 2

Thef. IV.

Thef. IV.

Pupillus infans plane non alienat; cum enim non intelligat, quod agit, neque Tutore autore valide alienat.

Thef. V.

Bene tamen Tutor alienat nomine infantis.

Thef. VI.

Si sit pupillus infantia major, sine Tutore nihil agit, cum Tutore vero validè alienat.

Thef. VII.

Minor Curatorem non habens validè quidem alienat; contrahens autem cum eodem securus non est, cum facile minor in integrum restitatur, si probet, se læsum esse.

Thef. VIII.

Minor Curatorem habens absque eo nil alienat, secus cum Curatore.

Thef. IX.

Sed & Tutor & Curator circa res alienandas officium suum observare debent. Nam Leges Romanæ distinguunt inter res mobiles & immobiles.

Thef. X.

Thef. X.

Res mobiles, quæ servando servari non possunt, validè alienant Tutores & Curatores.

Thef. XI.

Res mobiles, quæ servando servari possunt, ut & res immobiles non alienant validè, nisi tribus observatis requisitis.

Thef. XII.

Primo enim causa necessaria adesse debet, quæ alienationem suadeat e. g. æs alienum & quidem urgens, alimenta, studia &c.

Thef. XIII.

Non ergo sufficit Causa utilis; nam, etiamsi evidentissima demonstraretur pro minore utilitas, Magistratus non poterit decretum alienandi concedere.

Thef. XIV.

Verum hoc casu solus Princeps est, qui veniam alienandi dare potest, nisi & hic Magistratui hoc jus concesserit.

Thef. XV.

Secundò requiritur, ut Causa illa necessaria cognoscatur, & examinetur à Magistratu.

Thef. XVI.

Tertiò requiritur, ut Magistratus Decretum desuper concedat.

Thef. XVII.

Judex debet esse competens aut ratione domicilii pupillaris seu minoris aut ratione rei sitæ.

Thef. XVIII.

Est autem in electione Tutoris, quem Judicem implorare velit.

Thef. XIX.

Deficiente uno ex his requisitis alienatio est ipso jure nulla.

Thef. XX.

Id quod tamen intelligendum quantum ad præjudicium pupilli; in hujus enim favorem hæc dispositio introducta.

Thef. XXI.

Unde is, qui cum Tutore contraxit, alienationem nullam dicere non potest.

Thef. XXII.

Nulla tamen non est alienatio rerum immobilium pupillarum à Tutore contracta, si defunctus permiserit rerum istarum alienationem.

Thef. XXIII.

Thes. XXIII.

Vel si minor seu pupillus ex pacto de retrovendendo à patre subscripto ad retrovenditionem obstrictus est, tunc enim tutor absque decreto validè alienat.

Thes. XXIV.

Si Decretum Principis interveniat, idem juris est.

Thes. XXV.

Vel si minor major factus alienationem ratam habuerit, tunc alienatio, quæ in se nulla fuisset, ex post facto convalescit.

Thes. XXVI.

Convalescit autem invito adversario.

Thes. XXVII.

Ratihabitio illa potest fieri vel expressà vel tacitè.

Thes. XXVIII.

Tacitè, si tacuerit ex tempore, quo major factus, per quinquennium ex titulo oneroso.

Thes. XXIX.

Ex titulo vero lucrativo si tacuerit per decem annos inter præsentès vel viginti annos inter absentes.

Thes. XXX.

Thef. XXX.

Quæritur, an minor veniam ætatis
nactus possit sine Decreto alienare. Resp.
Neg.

Thef. XXXI.

Nam, cum per veniam ætatis saltem
acquirat eam facultatem, quam habuit
antèa cum Curatore, Curator autem sine
Decreto alienare non potuerit, conse-
quens est, ut facultas alienandi res immo-
biles sine Decreto minori, qui veniam
ætatis impetravit, de-
negetur.

F I N I S.

* * *